

APPROBATIO ET FACULTA.
CENSORIS MOGUNTINI.



Dignus decuplā mercede labo
est, quem plurimū Reve
rendus, Eximius & Amplissi
mus Dominus **ALBERTUS PREZ**
Misionarius & Proto-Notarius Apostolicus
SS. Theologiæ & S. Canonum Doctor, Im
perialis Ecclesiæ St. Bartholomæi Mœno
Francofurti Canonicus Capitularis, Schola
sticus & Parochus in Decimis suis Marianis
antehac in Cathedrâ exhibuit, & nunc in
prælo exhibebit: Frendeant licet adversæ
partes, & Scapulare venditent Monachorum
lucrosum inventum, & Catholicorum ridi
culam superstitionem, non invenient tamen
unquam, quod verè Orthodoxam fidem vel

APPROBATIO &c.

longè offendat. Generosus est Eximus
D. Author, qui Scapulis suis laborem impo-
lit, contra quem militabunt haud pauci, ve-
rūm non formidat, pro quo Beatissima Virgo
MARIA pugnat, MARIA, quæ florem
Nazarenum peperit, nonnisi lauros panget.
Videat decuplus labor fructum centesimum,
& Eximum Dominum Authorem ad labo-
rem centesimum animet. Ego subscribo,
dignus prælo labor est. Moguntiæ 10. Au-
gusti, 1719.

ANDREAS IGNATIUS MEYER,

J. U. Licentiatus, Reverendissimi Vicaria-

tūs Moguntini Assessor, Electoralis Seminarij St.

Bonifacij Subregens, & librorum Censor

Ordinarius, mppr.

Liberalis Author est, qui post solutas Decimas Arborem
ipsam gustandam exponit. Si fructus Decimalis
gustui Catholico arrideat, quantò magis & Arbor
non enim nisi Arbor bona fructus bonos tulit.

Ita qui supra.

De Vota

DE VOTA VERA MORIS AC GEN VI NÆ CHARITAT.
TESSERA *

ANIMI TVS ET CORDE SINCERO EXHIBITA

Admodum Reverendo, Eximio ac Doctissim
DOMINO

D. ALBERTO PREZ,

Proto - Notario & Missionario Apostolico, Sacrosanct:
Theologiae & SS. Canonum Doctori, Imperialis Ecclesiæ ad S. Bartholo-
mæum Mœno-Fraocofurti Canonico Capitulari, Scholastico, ac
Civitatis eiusdem Plebano Dignissimo &c.

Dum Typis ederet Decimas in Agro Carmelitano
collectas.

Redde DEO Decimas, clamat Scriptura, reclamant
Astra, polus, tellus; jura vetusta volunt.
Reddito quæ summae debentur Cæsar is arcæ,
Quæ sunt jura DEO debita, redde DEO.
Hoc, ALBERT E, facis, Decimas dun: reddis opimas,
Quas Eliani protulit uber agri.
Hoc in agro Decimas tua sedula dextera legit,
Maturasque solo reddidit atque polo.
Ad Carmelitas quando bis quinque per annos
E Cathedra ad populum fervida verba dabas.
Omnia si pereant, tamen hoc quod crevit in agro,
Non Stygis aut Lachesis barbara jura timet.
Mille licet flamas spuat, atque tonitrua mille
Hærefis, & furias tartarus ore vomat.
Quamvis Herculeas tentet mala bestia vires,
Involet in Decimas, mutiplicetque minas.
Cor, ALBERT E, tuum nullos trepidabit ad hostes,
Nam Decimæ decuplum robur ad arma dabunt.

Atque

Atque tuas Scapulas Scapulare tuebitur; hostes
Victi terga dabunt, bestia cæsa cadet.
Sicque triumphanti cedet victoria, laurus
Sponte tuas cinget non peritura comas.
Sic Decimas, ALBERTE, tuas decorabit Olympus:
Cur? quia solvisti debita jura DEO.
Hinc cape quæ flagrant totis sacra pectora votis,
Accipe, Carmelus quæ tibi votalitat:
Pro Decimis, ALBERTE, tuis transcende senectam
Nostoris, ac tandem mortuus astra pete.

Ita sInCerè VoVet ConfratrI DeVotissimo
Die 29. Jaauarii


CARMELUS FRANCOFURTENSIS.

Ad Zoilum.

Zoile quid gannis? Decimas cur carpere tentas?
Edic, quæ lateant corde venena tuo?
Quid tandem Decimas carpendo proficis? edic
Si possis? dicis: nescio. nescis? age.
Edicam, quid agas; tua Zoile viscera rodis,
Dum carpis Decimas, tu miser ipse manes.
Si miser ipse manes; cur non bona carpere cessas?
Dicis: non possum. non potes? ergo vale.
Sit nox atratibi, tenebris quia pasceris, orci
Protinus ad tenebras, dum morieris, eas.

Aliud ad Sciolum & Zoilum.

Quid nostrum spectans Agrum livore tumescis?
Nunquid ut has Decimas rapace vores?
Cessa: quidquid agis, nihil est, nisi livor inanis,
Non Agro nostro, sed tibi livor obest.



Cui